



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Abitus ex Sacristia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

mi Domine, quæ breviter, dum me induo, antecedenter autem sæpè paulò fusiùs ad excitandum in me fervorem ac devotionem debitam, ruminabõ.

*Byretum corona.*

**D**Um Byretum capiti impono, reminiscar spineæ coronæ tuæ, & ingentis ideo tibi inflicti cruciatûs. Cogitabo etiam memoriale hujus coronæ esse eam, quæ in vertice mihi raris est, circularem figuram. Quæ cum præterea index sit regię dignitatis, quâ Sacerdos præfulget, & simul perfectionis huic statui congruentis, hinc altè cordi meo hærebit infixum illud ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, & non obediatis concupiscentiis ejus.* Ne ex mitissimo JESU, qui fecit nos regnum (quod per verba consecrationis ipsi dominatur Deo) & Sacerdotes Deo & Patri suo. Apoc. 1. Fias mihi irreconciliabilis per totam æternitatem Judex Sacerdotes damnatos præ aliis magis cruciaturus.

*Abitus ex Sacristia.*

**D**Um Byretum indutus profundam imagini crucifixi facio reverentiam è Sacristia ad Altare abiturus. Petam à te mi Domine liberationem à distractionibus, & primarium hoc in toto mundo opus sanè non deproperabo memor illius Is. 61. *Ego Dominus odio habens rapinam* (utique etiam furto debiti temporis patrabilem) *in holocausto.* Universim quoad Sacerdotalia indumenta reflexionem meretur memoranda Carnotensis sententia: *Ornamenta hac*



non sunt virtutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam Scripturis utentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere. Et hinc Innoc. III. benè monet: *Provideat ergo diligenter Episcopus* ( quia plura hujus indumenta majoris quoque in eo requisitæ perfectionis sunt signa ) *& attendat Sacerdos studiosè, ut signum sine significato non ferat, ut vestem sine virtute non portet, nè fortè sit similis sepulchro de foris dealbato, intus autem omnia plena spurcitie. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud Deum. Pontificalem itaque gloriam jam honor non commendet vestium, sed splendor animarum.*

## ORATIO SECUNDA.

*Explicans requisita ad Sacrificium.*

*Altare quasi alta Ara.*

**R**equisita ad tremendum hoc Sacrificium dum percurro, eorum simul significacionem in ordine ad congruos eliciendos affectus mente volvam. Atque cum primis Altare designabit mihi mensam Domine, in qua ultimam habuisti Cœnam, Item Calvarix montem, in quo cœuentum peregisti Sacrificium. Demum ob conjunctos cœmento lapides Ecclesiam tuam in unum coadunatam.

Sacer-